

P. VERGILI MARONIS

ECLOGAE

ECLOGA I

PR] MELIBOEVVS TITYRVVS

M. Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena;
nos patriae finis et dulcia linquimus arva.
nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5
T. O Meliboee deus nobis haec otia fecit.
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10
M. Non equidem invideo, miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. en ipse capellas
protenus aeger ago, hanc etiam vix Tityre duco.
hic inter densas corylos modo namque gemellos
spem gregis — a — silice in nuda conixa reliquit. 15
saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
sed tamen iste deus qui sit da Tityre nobis.
T. Urbem quam dicunt Romam Meliboee putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus 20
pastores ovium teneros depellere fetus.
sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.

Ecl. I. 2 agrestem *Quint. inst. 9, 4, 86* 12 turbatur *codd. deter., Quint. inst. 1, 4, 28 Consent. gramm. V 372, 35, commendat Serv. turbamur PR Philarg.*